



G. Fr. Lilliet.

~~1081~~

P. e. 137

ooo

Theol

W F 42

Theol. M. VIII. 1054.



**MELETEMA**  
DE  
**PRÆDESTINATIONE ET**  
**ÆTERNA PROVIDENTIA**  
**DEI,**  
OPPOSITUM  
**STRIMESIANIS VISI-**  
**TATIONIBUS**  
Articulorum Visitatoriorum  
**P. E. JABLONSKIO**  
editis.

---

A. C. M DCC XXXI.

MELLETTMA  
DE  
PREDESTINATIONE ET  
AETERNA PROVIDENTIA  
DISCE  
OPPOSITUM  
STRIMESIANIS VISI  
TATIONIBUS  
AUT ILLUSTRATIONIBUS  
PER TABULONIS KISIO  
AUT ILLUSTRATIONIBUS  
AUT ILLUSTRATIONIBUS  
AUT ILLUSTRATIONIBUS

257







LECTOR BENEVOLE  
SALVE!

**D**ogmatistæ Calviniani sunt instar  
maris propulsi; quum quiescere  
non potest, & aquæ ejus expel-  
lunt cœnum & lutum: id quod ex Jes. LVII.  
20. ad eos jure accommodamus. Recentî  
exemplo est *Paulus Ernestus Jablonskius*,  
Strimesianus in Articulos Visitatorios Saxo-  
nicos Visitaciones, Anno ob memoriam Au-  
gustanæ Confessionis ante ducentos annos  
Cæsari & Imperio exhibitæ Jubilæo, e te-  
nebris protrahens, typisque exprimi curans.  
Eorum primam *de Persona CHRISTI*,  
ad examen Dissertatione inaugurali Rosto-  
chii summa cum laude habita revocavit Ce-  
leberrimus Vir, IO. DAN. KLUGE, S. Theo-  
logiæ Doctor, & in Archi-Gymnasio Tre-  
monienti Professor Publicus, nec non Gy-  
mnasiarcha optimæ meritis. Fecit illud tam  
egregie, tam solide, & tanto cum eruditio-  
nis apparatu, ut non modo inclytæ Tremon-  
niæ, sed & universæ Ecclesiæ Evangelicæ  
gratulandum sit, quod DEUS tam insigne  
in hoc Viro lumen accenderit. Utinam diu-



tissime luceat splendeatque, radiosque qua-  
 quaversum emittat, nec nisi in extrema se-  
 nectute aliis inserviando consumatur, vel  
 porius consummetur! Speramus etiam, Ipsum  
 ceteros articulos Visitatorios eodem cum  
 successu a Strimesianis cavillationibus vindi-  
 caturum, quando per amplissimi muneris,  
 quod cum non exigua laborum mole conjun-  
 gi peregrinantes apud nos Westphali testan-  
 tur, rationes licuerit. Quandoquidem vero  
 graves ob causas, quas edisserere nil attinet,  
 Strimesianas articuli *de Prædestinatione* de-  
 pravationes sine ulteriori moræ refelli necesse  
 est; eas hoc qualicumque *Meletemate* con-  
 futandas sumsi. Qua opella haud gravatim  
 uteris, Lector benevole, donec Maxime Re-  
 verendus Klugius, ὁ πιστὸς χριστῆ δῶλος καὶ φρό-  
 νιμος, ad eas etiam excutiendas copiose suæ  
 doctrinæ thesaurum contulerit. Vale, &  
 Ecclesiam a Calvinianis vehementer nunc  
 pressam, DEO precibus sanguine CHRISTI  
 tinctis eommendare nunquam desine.





§. I.

**P**

ura & vera doctrina nostrarum Ecclesiarum de hoc Articulo sic habet. I. Quod Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, & cen Agnus Dei totius mundi peccata sustulerit. II. Quod Deus neminem ad condemnationem condiderit, sed velit, ut omnes homines salvi fiant & ad agnitionem veritatis perveniant; propterea omnibus mandat, ut Filium suum Christum in Evangelio audiant, & per hunc auditum promittit virtutem & operationem Spiritus S. ad conversionem & salutem. III. Quod multi homines propria culpa pereant: alii qui Evangelium de Christo nolunt audire: alii, qui iterum excidunt gratia, sive per errores contra fundamentum, sive per peccata contra conscientiam. IV. Quod omnes peccatores poenitentiam agentes in gratiam recipiantur & nemo excludatur, etsi peccata ejus rubeant ut sanguis; quandoquidem Dei misericordia major est, quam peccata totius mundi, & Deus omnium suorum operum miseretur.

§. 2. Sequitur falsa & erronea doctrina Calvinistarum. I. Christum non pro omnibus hominibus, sed pro solis Electis mortuum esse. II. Deum potissimam partem hominum ad damnationem aeternam creasse, & nolle, ut potissima pars convertatur & vivat. III. Electos & Regenitos non posse fidem & Spiritum Sanctum



Etum amittere, aut damnari, quamvis omnis generis grandia peccata & flagitia committant. IV. Eos vero, qui Electi non sunt, necessario damnari, nec posse pervenire ad salutem, etiamsi millies baptizarentur, & quotidie ad Eucharistiam accederent, præterea vitam tam sancte atque inculpate ducerent, quantum unquam fieri potest.

§. 3. Strimesius Visitationem suam in hunc articulum in quatuor Sectiones divisit. **PRIMA SECTIONE** de Prædestinatione in genere commentatur. Pessime autem inter prædestinatos refert propria culpa & obstinata malitia incredulos mansuros. pag. 6. De iis enim nullibi in Scripturis vocabulum Prædestinationis adhibetur.

§. 4. Pagina 8. inquit: Facile dederò, imò vero suaferò, de Prædestinatione, cum primis in Cathedra Ecclesiastica, seu, populari, parcius, & nonnisi omni adhibita prudentia Theologica docendum & summo opere cavendum esse, ne ansa cogitandi auditoribus præbeatur, Deum, qui summum hominis etiam lapsi Bonum, sui que maxime communicativum, in Christo fide apprehenso futurum se per ipsum quoque Moſen declaravit Exod. 34. majorem humani generis partem citra intuitum culpæ adversus Evangelium admisse, vel præteriisse ab æterno & omni gratia in tempore illi impertienda cassam voluisse, vel, quod majus est, æternis cruciatibus destinasse. Hinc promte consequitur, nequaquam Calvinistas in Unionem Ecclesiasticam suscipiendos: cum plerique eorum statuunt, Deum longe maximam hominum partem citra intuitum culpæ adversus Evangelium admisse ob solum peccatum originale ab æterno præteriisse,

nec



nec a Christo redimi voluisse, alii, Supralapsarii nempe, Deum etiam ante prævisionem lapsus eam æternis cruciatibus destinasse.

§. 5. Pagina 12. fatetur, *Prædestinationem nulli de personis humanis in Scriptura usurpari, quin per Prædestinationem Electionem designet.* Nihil ergo ad rem facit, si unus vel alter Scriptor vocabulum Prædestinationis ad reprobationem etiam extendat. Omnes enim & omnia Scripturarum autoritati cedere oportet.

§. 6. Vana spes est Strimesii, Reformatos, si quidem ipsis *absoluta Electio sarta tectaue relinquatur, pro absoluta reprobatione non amplius depugnatos:* pag. 15. seqq. Tunc enim adhuc pertinacius pro ea propugnarent, quandoquidem absoluta electio absolutam reprobationem secum ferret. Si enim ii qui salvantur, absolute essent electi, reliquos ad salutem pervenire absolute impossibile foret, etiamsi millies baptizarentur, & quotidie ad S. Eucharistiam accederent, præterea vitam, tam sanctam inculpataque degerent, quam qui sanctissimam. Itaque non erat, cur nos tam inanis spei ostentatione circumvenire conaretur.

§. 7. Methodum de Prædestinatione tractandi Paulus nos docuit Rom. 8, 32. *Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum ipso omnia nobis gratificabitur?* Sic ergo progrediendum est. Deus universis hominibus, Ergo & mihi, Filium dedit proprium, qui pro meis peccatis satisfecit. Proinde mihi cum ipso omnia ad salutem necessaria donare vult. Igitur vult mihi donare fidem, vult me in fide confer-



vare, vult me etiam tandem glorificare. Quapropter non est, cur de electione me angam. Dummodo fidem in universalem redemptionem a Christo factam mihi conferri patiar, nec eam peccatis proæreticis iterum abjiciam, vel si abjecero, a Spiritu S. per verbum denuo in me effici permittam, certissime sum electus.

§. 8. *SECTIONE SECUNDA* de Prædestinatione conditionata differit. Nec istum loquendi modum rejicimus, monemus tamen, haud quamquam eo trahendum, ac si Prædestinatio non esset mere gratuita. Deus enim nos ex mera gratia prædestinavit sine ulla conditione, intuitu fidei in Christum redemptorem.

§. 9. Valde incommode etiam pag. 37. scribit, *decretum hoc non tam ab aeterno factum esse, quasi eandem cum Deo existendi a priori necessitatem, Dei aternitati competentem participaret, quam verbis Spiritus S. Ephes. 1, 4. factum ante jacta mundi fundamenta, ut intelligatur, ab aeterno, omnem durationem, principium temporis antegressam, denotante, ita factum esse, ut etiam, pro arbitrio Dei liberrimo potuisset non fieri.* Quæ enim Deus ante jacta mundi fundamenta decrevit, ea decrevit ab omni aternitate. Nec inde sequitur, non fuisse liberrimam. Cum enim Deus sit ens liberrimum, ea etiam quæ ab omni aternitate decrevit, liberrime decrevit. Viderur autem sub Strimesiana ista hypothese aliquid Sociniani & Arminiani fermenti occultari.

§. 10. Pagina 41. per contradictionem in adjecto *excitatio hominis ex morte Spirituali a plena conversione* distinguitur. Qui enim a morte Spirituali



tuali exfufcitatus eft, & fpiritualiter vivit, ille jam habet fidem falvificam, adeoque plene eft converfus. Eph. 5, 14. autem major gradus illuminationis designatur. Qui enim jam eft converfus, tamen magis magisque a Chrifto illuminari poteft, & illuminatur. Nihil igitur præfidii dictum hoc affert Synergifmo Strimefiano, *Deum levem quendam ex morte Spiritualis excitati hominis actum motumque liberum exerendum in conditionem Electionis po- fuisse.*

§. 11. Universalem Dei gratiam multis argumentis pag. 47. feqq. probavit. Quod etiam aliis jam fcriptis fecit. Quid autem profecit apud Particulariftas? Nihil. Universaliftas igitur tamdiu expectare oporteret, donec extirpassent in Ecclesiis Reformatis fic dictis Particularifimum Supra- & Infralapfarium, antequam subdolis fuis fcriptis Henoticis nobis moleftiam crearent. Ita horas fuas rectius collocarent.

§. 12. Augustinum solummodo ante oppugnationem Pelagii decretum Electionis juxta præficientiam factum docuiffe, faliffime sibi pag. 77. 78. perfuafit. Etenim in fcriptis, quæ Pelagianis opposuit, magno itidem zelo docuit, Chriftum pro univerfis mortuum esse. Sic e. gr. Libro 6. contra Julianum Pelagianum fcribit: *Ex hoc Paulus probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, falubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia confequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore,*  
*reftat*



restat ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum. cap. I.

§. 13. Pagina 87. Evangelio comminationes perperam tribuuntur. Illæ enim lege continentur. Evangelium autem est latissimus nuncius, de gratia Dei & remissione peccatorum universis hominibus propter Christi meritum oblata.

§. 14. Pagina 90. 91. Articulis Visitatoriis objicit, *non omnibus dari, verbum Dei audire.* Resp. Quibus verbum Evangelii non actu prædicatur, illi non solum in majoribus suis prædicationes contemferunt, & præcones ejus persecutionibus divexarunt, sed & Deus secundum omniscientiam novit, quod ipsi verbum Dei audire nolint, illudque, si eis de novo prædicaretur, contentui habituri sint. Igitur ad eos non mittit præcones, ne eorum vilipendio & afflictione majores sibi adhuc pœnas attrahant. Quod si vero in ejusmodi populo hunc vel illum Evangelii præconio assensum fiducialem finaliter præbiturum prævideat, tum per omnipotentiam suam eum vel in nostras terras deducit, vel etiam efficit, ut aliquis Christianorum eo veniat, & doctrinam salutis illi commonstret. Conf. Hutteri Explicatio Libri Concordiæ p. 1074. 1075.

§. 15. Pagina 96. 97. ægre fert, in Articulo primo Visitatorio dici, Christum ceu agnum Dei totius mundi peccata sustulisse. *Ut enim sufferre peccata etiam nudam satisfactionem pro peccatis significare possit, tamen, quia etiam sublationis significationem haud abnuat, nec peccata alio sensu sublata simpliciter & sine additamento intelligantur, quam quod*



quod actu deleta remissaque sint, rectius multo Visitatores dicturos fuisse, Christum agnum Dei peccata mundi tulisse, quam sustulisse. Respond. Imo vero rectius multo se gesturus fuisset Strimesius, si Scripturam Sacram diligentius considerasset. Deleta peccata nostra in cruce esse Paulus disertè testatur. Christus deleuit, quod contra nos erat chirographum dogmatibus; quod erat contrarium nobis, & illud sustulit e medio, affigens illud cruci: Coloss. 2, 14. Petrus etiam docet, quod Redemptor peccata nostra sustulerit sive sursum tulerit *ἀνῆνεγεν* in corpore suo super lignum. 1. Ep. 2, 24. Hanc igitur emphasin ob oculos habebant Visitatores, Christum ita tulisse peccatum mundi, ut secum ferret in crucem altam, Joh. 12, 32, 33. & pro eo pateretur. Quin & Joh. 1. 29. in Biblicis Anglicanis Polyglottis cum in versione Latina Græci Textus, tum in interpretatione versionis Syriacæ, Persicæ, & Æthiopicæ legitur, *tollens*, &, *qui tollit*. Quod autem *tollo* in Præterito habeat *sustuli*, vel tyronibus Grammaticæ Latinæ constat. Multo gravissimus autem error Strimesianus est, Christum omnibus quidem hominibus reconciliationem Dei Patris impetrasse qua hujus oblationem, **NON TAMEN QUÆ COLLATIONEM**: solidissime confutatus a B. Gertmanno in *Vindiciis adversus Charitologiam Strimesii*, p. 15. seqq.

§. 16. Pagina 98. dicam Pelagianismi scribit Mamphrasio, quod *hominem non renatum verbum Dei serio & cum studio discendi audire posse affirmaverit*. Respond. In Statu corruptionis adhuc constitutus homo non id facit ex se ipso, aut ex propriis



priis viribus, sed per prævenientem gratiam Spiritus Sancti. Nec liber liturgicus Ducis Julii Mampfrasio repugnat, cum in eo dicatur: **Da ist von Natur kein Verlangen.** Sic & Hominis non repugnantia oritur nequaquam ex propriis viribus, naturaliter enim semper repugnat, sed a Spiritu Sancto per Verbum efficiente.

§. 17. Pag. 103. seqq. Synergismi postulat Rappoltus scribentem, *ad virium credendi collationem hominem mere passive se habere, ad usurpationem illiarum non se habere mere passive, sed ita per gratiam DEI eas exercere, ut possit etiam per residuam concupiscentiam non exercere.* Resp. Rappoltus hoc opponit somnio de gratia irresistibili. Quando enim homo vires credendi jam accepit, tamen ab iis exercendis malitiose abstinere potest, residua concupiscentiæ obsecutus. Strimesius autem pag. 104. 105. crassum suum Synergisimum repetit, *hominem a morte spirituali nonnihil excitatus, actum aliquem ad fidem preparatorium excitanti gratia proportionatum edere posse, qui a Deo ab aeterno prævisus, conditionem eam absolvat, a qua Prædestinatio Conditionata nomen suum sortiatur.* Quomodo etiam Rappoltus fidem movere Deum ad Electionem docuerit, ipsa ejus verba, *mover non ex propria vi, bonitate, dignitate & valore; sed UNICE ex vi, bonitate, dignitate & valore apprehensi meriti Christi,* tam dilucide ostendant, ut satis appareat, sine ulla causa Strimesium in deteriorem partem interpretatum. Vehementer autem Strimesius errat, Christum electum pag. 108. dicens. Etsi enim Jes. 42, 1. a Deo Patre dicitur *Electus meus:* tamen ibi talis electio non designa-



signatur, de qua in Articulo de Prædestinatione sermo est.

§. 18. Pagina 110. III. fingit, *Fidem salvificam Bona Opera etsi animo interna, Dei Honorem, Amorem, Timoremque filialem ipso conceptu suo involvere, cen absque his inconceptibilem plane.* Resp. Honor, amor, timor filialis ex fide certissime sequuntur, nequaquam autem in ipso fidei conceptu involvuntur. Nam Paulus Apostolus fidem universis operibus legis adeoque & internis in Justificatione opponit, Rom. 3, 28. Strimesius autem hac sua hypothese Socinismum incrustat, & proinde Unioni Ecclesiasticæ gravissimum impedimentum ipsemet affert.

§. 19. Pagina 112. narrat, *Lutherum 1. Tim. 2, 4. voluntatem divinam salvandi homines aeternum in voluntatem omnes temporaliter servandi per rø geholffen werden convertisse, eodemque modo Gott den Seligmacher pro Gott den Heiland aller Menschen ad Servationem Temporalem traduxisse.* At vero manifestissime injusta est hæc accusatio, cum geholffen werden præcipue auxilium aeternum duraturum designet. Sic etiam vocabulum Heiland in propriissimo significato ad salutem aeternam respicit, vid. Luc. 2, 11. 30.

§. 20. Pag. 113. carpit versionem Lutheri Rom. 9, 16. *So liegt es nun nicht an jemandes wollen oder lauffen, sondern an Gottes erbarmen: substitui cupiens sequentem: So ist nun dieses Werck (verstehe Seligkeit und Erwehlung) nicht des wolkenden oder lauffenden Menschen, sondern des erbarmenden Gottes.* Ita vero sibi ipsi contradicit.  
Quod



Quod si enim non est hominis volentis nec currentis, neque in hominis voluntate sive cursu sita est. Crassissimus autem est Pelagianismus, *hominis volentis & currentis actum spontaneum esse conditionem salutis & predestinationis.* Dicitur Paulinum Phil. 2, 12, agit de hominibus jam regeneritis, qui jubentur *circa salutem operari*, κατ'εργαζομεθα. Nec 2. Tim. 4, 7. 8. cursum suum pro conditione salutis venditat, sed *cursum* a se *finitum* jam esse docet, & sibi intuitu *fidei repositam esse coronam justitiae.* Proxime enim praecedit, *fidem servari.*

§. 21. Pag. 116. *Fidem hominis Christiani qualitatem esse pronuntiat, pag. 117. 118. partibus essentialibus Evangelii doctrinas & institutiones de moribus & comminationes annumerat, & Rom. Cap. 3. & 4. fidem operibus non quibuscunque sed tantum legalibus opponi contendit.* At vero nullum opus bonum est, quod non lege injungatur, nec ulla bona qualitas datur in lege non praescripta. Igitur omnia opera, omnis qualitas, omnes mores a justificatione & salute prorsus excluduntur.

§. 22. Pag. 119. inquit, *Jes. 53, 11. non legi, Per cognitionem suam, ut verterit Lutherus, sed per cognitionem sui.* Quis autem revelavit ei, Lutherum vocabulo *seini* designasse cognitionem suam, non sui? Pag. 121. fingit, *legem fidei Rom. 3, 27. praesupponere tam legem Naturae, quam decalographicam, Ego sum Dominus Deus Tuus, qui te ex Aegypto eduxi, Exod. 20, 2.* Quam absurdum autem hoc ejus pronuntiatum sit, vel inde patet, quod nos non simus ex Aegypto educti, Paulus autem lege fidei omnes justificari debere doceat. Intelligitur ergo per legem

gem



gem fidei ordo a Deo institutus, ut quisquis crediderit, iustificetur & seruetur. Dicta reliqua, quæ cumulat, non evincere, quod inde probare studet, sufficienrer apparet, dummodo observetur, ea quæ fidem antecedunt ac sequuntur, fideique signa ac documenta sunt, cum ipsa fide non esse confundenda.

§. 23. Pag. 129. tradit, *primam hominis ex morte spirituali suscitationem inevitabilem esse atque irresistibilem.* Confundit autem primum gratiæ prævenientis gradum, & suscitationem primam ex morte spirituali. Quando DEus homini per præconem verbum proponit, tum primus ille gratiæ prævenientis gradus ab eo impediri nequit. Sed eo gradu non absolvitur suscitatio prima ex spirituali morte. In eo enim homo spiritualiter mortuus corporaliter mortuo deterior est, quod hic impedire nequeat, quo minus in novissima die exsuscitetur: cum e contrario is, qui in spirituali morte versatur, impedire valeat, ne vita spiritualis ipsi conferatur.

§. 24. Pag. 131. *catachresticam satis & obscuram expressionem esse statuit, qua fides Instrumentum Christum apprehendens existimetur.* Nonne vero fides apprehendit Christum & meritum ejus, dum *imputatur ad justitiam?* Rom. 4, 5. Impossibile enim est aliter ad justitiam imputari, quam vi meriti Christi, quod apprehendit. Falsissime etiam Strimesius sibi persuadet, fidem *per charitatem istam demum fidem fieri, quam in modo nostro concipiendi Justificatio insequatur*, pag. 132. Antequam enim homo per fidem iustificatus sit, non potest dari in eo charitas, cum impossibile sit, hominem amare Deum, quamdiu nihil ab eo expectare potest, nisi iram & damna



damnationem aeternam. *Bona opera ex Prædestinatione demum profluere* itidem perperam traditur pag. 133. cum multi bona opera faciant, qui tamen non sunt prædestinati, sed ob Apostasiam finalem inferno adjudicantur.

§. 25. Propter fidem non eligimur, sed per fidem & intuitu fidei. *Domine*, inquit Jeremias, *oculi tui annon ad fidem respiciunt?* Cap. 5, 3. Sic ergo 2. Theff. 2, 13. particula *et* intelligenda est, quod Deus nos *elegit per sanctificationem Spiritus & fidem veritatis*. id est per præconium Verbi a Spiritu Sancto institutum & gubernatum, ac fidem sancta ista Divini verbi prædicatione nobis collatam. Nec Eph. 1, 4. dicimur electi ad fidem, sed *ad adoptionem*, quam per fidem adipiscimur, Joh. 1, 12.

§. 26. Jacobus testatur, *Deum elegisse pauperes mundi hujus, qui fide divites sunt*, c. 2, 5. Hæc ergo est causa electionis. Effectus fidei autem & signum, ex quo cognosci ab aliis debet, est *dilectio*, ibid. Interim jam monuimus, nos fidem non dicere conditionem Electionis proprie dictam, cum ex mera gratia eligamur; sed ordinem & medium divinitus ad amplectendam gratiam constitutum. Hic enim est ordo divinus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur, qui vero non crediderit, condemnabitur*, Marc. 16, 16. Proinde intuitu fidei Deus nos elegit, intuitu incredulitatis autem reliquos reprobavit. Hoc qui cum Strimesio non agnoscit, sed negat, ille præconium Apostolicum evertit, & proinde nullus est Ecclesiasticæ cum eo *Unioni locus*.



§. 27. SECTIONE TERTIA ad Absolutam Prædestinationem se confert. Præmonet autem pag. 139. *se haud frustra vereri, ne utraque per Huberianismum sibi occinat.* Hunc ut effugiat, pag. 141. *regerit, suam electionem utramque particularem esse.* Quicquid autem hujus sit, apertum tamen est, in scripturis unam solam hominum electionem doceri, ac proinde duplicem sacris literis adversari, quomocumque etiam pingatur.

§. 28. Post multas ambages pag. 151. locum Scripturæ adducit, Ezech. 16, 2. 6. Sed ibi absolutam electionem non fisti dilucide patet, cum alias sequeretur, totum populum Judaicum ad vitam æternam prædestinatum esse. Quin & ex ipsa Strimesiana hypothese, *Deum nil nisi miseriam eamque summam intuitum*, p. 152. sequitur, non notari absolutam electionem. Si enim summam miseriam intuitus est, non elegit absolute. Nec ullibi in Textu legitur, Deum genitores gentis Israeliticæ, *Amorrhæos & Chittæos in spurcissimo idololatria sue squalore absolute reliquisse.* Neque enim ignorare poterant Abrahami majores Amorrhæis & Chittæis impietate æquales Semum, ex cujus profapia oriundi erant, tunc adhuc viventem. Is cum verbum Divinum prædicaret, ac proinde etiam Elencho contra idololatriam uteretur, non absolute, sed propterea quod Semum & discipulos ejus audire nollent, in spurcissimo idololatriæ suæ squalore remanserunt.

§. 29. Pag. 153. seqq. ad Exod. 33, 19. Rom. 9, 15. provocat. Sensus autem est, Deum non propter opera aut merita operum nostri misereri, sed ita, ut vera sit & maneat misericordia. Cujus autem vult misereri?

B

sereri?



fereri? Ejus, qui a solo Christo salutem ex mera gratia expectat. Et quem vult justo iudicio indurare? Illum, qui non in solius Christi satisfactione, sed in propriis operibus confidit, v. 30. 31. 32.

§. 30. Pag. 157. seqq. *absolutam fœderis gratiæ Divinæ cum quibusdampactionem Jer. 31, 31. Ezech. 11, 19, 20, 36, 26. 27. Joh. 6, 45. Heb. 8, 10. c. 10, 16. doceri fingit.* Sed nihil in hisce dictis de *absoluta* quadam electione commemoratur. Collatio novi Spiritus per lavacrum regenerationis Tit. 2, 5. non se habet per modum inscriptionis Legis novæ *inevitabilem*, prout pag. 159. lectori persuadere cupit. Potest enim homo impedire, ne baptizetur, potest impedire, quo minus lex cordi ejus inscribatur. Imo multi, qui baptizati sunt, iterum deficiunt, ac tandem profus damnantur. Malitiosa etiam repugnantia non tollitur absolute & irresistibiliter, nec cordis carni largitio inevitabiliter fit. Jer. 32, 40. quidem legitur: *Et pangam cum ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me ab iis, ut benefaciam iis, & reverentiam meam indam animo ipsorum, ut non recedant a me.* At vero illud *absolute & irresistibiliter* non adjicitur. Dei benignissima hæc voluntas est, ut reverentiam illis indat, ne recedant; quando vero ipsi reverentiam hanc vel admittere nolunt, vel admissam iterum repudiant, tunc propria culpa excidunt gratia, nec Deus se ab iis, sed ipsi se a Deo avertunt, æternamque damnationem sibi attrahunt. *Qui in Christum credit, ex ejus corpore aque vivæ scaturient, in ipsam usque vitam æternam fluxu suopertensuræ,* secundum voluntatem benignissimam Divinam, Joh. 4, 14. 7, 38. Quod si ve-

ro



ro fidem ipsi repellant, & subverti patiantur, 1. Tim. 1, 19. 2. Tim. 2, 18. aeternum exitium propria culpa & malitia accersunt. Quod si dicta Johannaæ absolutam electionem inferrent, sequeretur, omnem credentem absolute electum, id quod Strimesius ipse negat, duplicem perhibens electionem.

§. 31. Pag. 162. ad Matth. 15, 24. provocat, illud totius muneris Mediatorii respectu intelligendum p. 164. ratus. Quod si vero toto munere Mediatorio Christus ad solas de domo Israelis perditas oves missus esset, sequeretur, omnes ex gentibus oriundas ab officio Mediatorio exclusas, nec unam illarum redemptam aut electam esse. Vide, Lector cordate, ad quantas absurditates redeant Strimesianæ hypotheses, & exhorresce.

§. 32. Joh. 6, 39. *Hæc est voluntas Patris, qui misit me, ne quicquam ejus perdam, quod dedit mihi;* absolutam dationem non involvit. Christus neminem perdit, ex hominibus autem ipsis, qui pereunt, est perditio, Hof. 13, 9. *Omne quod dat Christo Pater, ad ipsum venit, v. 37.* Sed ubi dicitur, *Patrem id ei dare absolute?* Joh. 10. non legitur: *Quemadmodum Pater mihi oves meas absolute dedit;* sed absolute illud Strimesius propria autoritate, id est gravissima temeritate pag. 166. inserit. Joh. 15, 13. cum Rom. 5, 8. 10. probe consentit, cum in reconciliatione per mortem ipsi etiam discipuli & amici Christi tanquam hostes spectentur. Neque enim reconciliari potest nisi hostis. Igitur majorem dilectionem nemo habet, quam quæ a Christo discipulis exhibita est, quia in redemptione ut inimici & peccatores considerantur.

§. 33. Quando Jer. 31, 34. dicitur: *Non docebit*



vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: *Cognoscite Dominum. Omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum*; tunc id opponitur umbris sacrificiorum in Veteri Testamento, ubi Sacerdotes populum docebant, ut in his sacrificiis agnoscerent Messiam olim moriturum. Nunc enim omnes fideles norunt Jesum Christum non demum incarnandum, sed jam incarnatum, qui satisfactionem ita præstitit, ut nullis sacrificiorum præfigurationibus amplius opus sit. I. Joh. 2, 20. 27. 28. dirigitur ad Christianos ab Apostolis eorumque cooperariis edoctos. Hi jam noverant per Spiritum Sanctum in verbo Evangelii collatum omnia ad salutem necessaria, nec indigebant, ut ea demum discerent. Oportebat autem manere in iis, quæ Spiritus S. eos per Apostolos docuerat, & magis magisque cognoscere, quod omnis, qui facit justitiam, ex Deo natus sit, v. 29.

§. 34. Ex vocabulo *attractionis* Jerem. 31, 3. absoluta necessitans vocatio elici non potest. Nam si quis benevole & ex commiseratione trahenti pertinaciter refragetur, potest ob tam malitiosam repugnantiam dimitti. Nec Luc. 14, 23. vocatio *immu- tabiliter ἀναγυαλῶσα* notatur, sed illud *immutabili- ter* iterum a Strimelio pag. 170. ex proprio ingenio temere additur.

§. 35. Pag. 170. seqq. contendit, *Martyres per actum divina gratiæ determinantem & absolutum mor- tem perferrē.* At vero cuilibet fideli Deus eam gratiam largitur, ut in fide perseverare possit. De uni- versis enim Christianis ait Paulus: *Quis nos separabit a dilectione Christi? afflictione, an angustia? an per- secutio? an fames? an nuditas? an periculum? an*  
ma-



*machera?* Rom. 8, 35. Universis etiam Christianis data est promissio: *Fidelis est Deus, qui non sinit vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut vos possitis sufferre.* I. Cor. X. 13. Proinde ea etiam gratia, quæ cuilibet fidei datur, sufficit ad martyrium perferendum, nec absolutus gradus gratiæ necessarius est. Nec tantummodo pro martyribus, sed & pro aliis Christus orat, ne deficiat fides eorum: alias enim omnes, qui non sunt martyres, a fide desciscere sequeretur.

§. 36. Jel. 65, 1. non agitur de gratia absoluta inevitabili & irresistibili. Deus enim Ethnicos conversos Judæis in exemplum ob oculos ponit. Potuissent adeo regerere, discriminis causam hanc esse, quod Ethnicis, non sibi, gratia absoluta & irresistibilis concessa esset. Argumentum Divinum autem hoc est: Si per præconium Apostolorum Ethnici in tanta ignorantia propria culpa olim hærentes tam cito conversi sunt, omnino vobis Judæis, penes quos per aliquot millia annorum sedes Ecclesiæ fuit, erubescendum est, quod conversioni vestræ tam pertinaciter repugnatis. Verum est prius. Ergo & posterius. Frustra igitur se Strimesius pag. 182. 185. maceravit. Nec ex Jel. 1, 9. Rom. 9, 29, absoluta electio elici potest. *Semen enim a Jehova relictum* in his dictis legitur, absolute relictum non legitur. Nec ullus fidelium se ipsum præservare potest. Itaque & hîc Strimesius illatione sua semetipsum confudit.

§. 37. Pag. 187. provocat ad Joh. 15, 16: *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* At vero nullus fidelium gloriari potest, quod Christum elegerit. Quæcunque petunt fideles in nomine Christi, dat iis Pa-



ter, sigillatim vitam æternam, dummodo a fide sua non desciscant. Igitur absoluta inde electio nequam sequitur. Talis etiam est vocatio univerforum Christianorum, ut *nulla caro in conspectu Dei gloriatur*, 1. Cor. I, 26. 29. Univerfis quoque fidelibus illud dictum est: *Quis te discernit? Quid vero habes, quod non accepisti? Quod si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisses?* c. 4, 7. Sic & de omnibus electis agitur Eph. I, 4. & proinde nec ibi nec in locis parallelis ex propria Strimesii hypothesi de absoluta electione sermo esse potest.

§. 38. Quod si vel mica pietatis in Strimesio superfuisset, crubuisset sanctissimam illam doctrinam, *nos in Christo eligi non posse, nisi fide apprehenso, πᾶτων ψεύδος* appellare, pag. 193. Diserte enim scribit Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo*, Heb. XI. 6. Proinde impossibile etiam erat, ut sine fide prævisa eligeremur, conf. Eph. I, 5. Joh. 6, 40. Nec inde ullatenus sequitur, *meritum Christi necesse habere per humanam fidem compleri*; in se enim est perfectissimum & consummatissimum. Sed justitia, majestas & sapientia Divina non permittebant, meritum hoc imputari ulli, qui illud incredulitate sua usque ad finem vitæ repudiat & contemnit. Atque sic Deus etiam *ostendit divitias glorie sue in vasa misericordie, qua præparavit ad gloriam*, Rom. 9. 23. dum per solam fidem sine ullo merito nostro nos salvat.

§. 39. Pag. 195. objicitur, *electionem esse fontem omnium spiritualium donorum perfectorum*. Resp. Manet nihilo secius Electio fons illorum omnium. Et enim in electione Deus etiam hoc decrevit, quod univerfis hominibus finem benigne offerre, iis, qui repugna-



pugnare desisterent, conferre, eosdemque, nisi petulanter gratiam abjicerent, in ea conservare, atque sic salvare velit. Hæc est *πρόθεσις* Divina, Rom. 8, 28. Per *πρόγνωσιν* autem suam ab æterno prævidit, quinam essent usque ad finem vitæ credituri, v. 29. Hos igitur elegit. Atque sic omnis gloria unice Deo debetur, per cujus gratiam fidem accipimus, & in fide conservamur.

§. 40. Infantes Christianorum ante baptismum morientes a Spiritu S. absque hoc lavacro fidem accipiunt, 2. Sam. 12, 23. Electi igitur sunt, non autem absolute, sed in merito Christi per fidem apprehenso. Infantes Ethnicorum & Judæorum pereunt quidem, non autem absolute, sed propter incredulitatem. Nec obstat, quod ipsi non impediunt, quo minus conferratur sibi Baptismus. Non enim tantummodo in Adamo, sed & in parentibus suis fidem rejecerunt. Etsi vero non dicitur expresse in Scripturis, *electionem & reprobationem divinam nisi prævisione vel fidei vel incredulitatis nunquam existurarum*, tamen ex divitiis misericordiæ divinæ recte colligimus, Deum, si prævideat, infantem Ethnicum olim crediturum & in fide ad finem usque perseveraturum, tamdiu illum in vivis conservare, donec vel in potestatem Christianorum perveniat, vel etiam verbum Evangelii audire queat. Rom. 9, 11. opponitur electioni *ex operibus*, non autem electioni ex fide, conf. v. 12.

§. 41. Pag. 200. disputat, *hominem tum demum incertitudine liberandum, cum perseverantiam fidei suæ probe radicata Electionis Absoluta Decreto, ex quo etiam fides ejus unice profluxerit, superstruxerit*. Igitur ex sententia ejus doctrina de absoluto decreto tan-



topere est necessaria, ut existimet, fidem nonnisi ex absoluto decreto promanare, hominemque fidem nonnisi per absoluti decreti dogma certitudinem perseverantiae adipisci posse. Cur ergo in Unione concilianda operam collocavit? Num putavit, Lutheranos horrendam absoluti decreti doctrinam amplexuros? A tali impietate custodiat nos Dominus!

§. 42. E conversione Pauli pag. 202. absolutam electionem vano conatu derivat. Ipse enim Apostolus fatetur, se resistere potuisse caelesti visioni, dum se *ei non resistisse* ait, Act. 26, 19. dicturus alias, se ei rebellem esse nequivisse. De populo Judaico §. 28. jam dispeximus. Cur ex. gr. Antiochiae Judaei conversi non fuerint, Act. 13, 46. palam commemoratur, *quia videlicet verbum Divinum repellebant*. Sic etiam Demetrius faber argentarius alii-que artifices Ephesi nolebant converti, quia *quodstum haud exiguum ex templis argenteis Diana faciebant*, cap. 19, 24.

§. 43. Testimonia, quae Strimesius pag. 204. seqq. ex Augustino adduxit, nobis non repugnant, dummodo recte intelligantur. Scribit, *Deum nos elegisse, non, quia credidimus, sed ut credamus*, hoc sensu, fidem non esse causam, propter quam Deus nos elegit. Adhibet itaque particulam *quia* sensu rigorosiori: minime autem ei in mentem venit, ut negaret nos intuitu fidei electos. *Fidem esse opus Dei & a Deo nobis donari*, toto animo cum Augustino confitemur. Negamus etiam cum eodem, *Deum electis dare Spiritum S.* ea intentione, **UT BONA OPERANDO vitam consequerentur**. Sicut enim bona opera in articulo de Renovatione non fa-  
tis



tis commendari, ornari, inculcari possunt, ita ab articulo justificationis & salutis penitus excludenda sunt. *Nemo etiam unquam credidit, ut sic vocaretur*: vocatio enim semper fidem antecedit, quippe quæ per Verbum & Sacramenta confertur. *Prævenit adeo & gratia fidem*. Divina enim gratia est, quod verbum hominibus prædicatur. Libro 2. de Bono Perseverantiæ cap. 20 col. 1287. 1288. ne verbum quidem de *absoluta* Prædestinatione extat. Docet autem ibi Augustinus, quod Deus nobis det fidem.

§. 44. Prosper Aquitanicus, Hilarius Pictaviensis ceterique pag. 209. a Strimesio nominati, rectissime secuti eum sunt, docentes, *quod omnis sancta Cogitatio & Motus pie voluntatis a Deo sit, & Prædestinatio sit mere gratuita*. Id quoque nos toto animo profiteamur. Lutheri liber de Servo arbitrio Calvinianis valentissime repugnat, quod Rev. Behmius contra Vitum Cassellanum invicte probavit.

§. 45. Ad argumentum B. Scherzeri ex Eph. c. 1. pag. 215. 216. regerit, *se non assequi quare non propter Christum eligi possint homines absolute, id est, ita, ut fides & quicquid cum fide partim necessario tantum, partim etiam essentialiter cohereat, non tamen sit conditio, vel proprie dicta ab homine determinanda & præstanda, viribus licet prævenientis gratiæ adjuto, vel in signo rationis Electione prior*. Resp. De vocabulo conditionis recte intelligendo §. 8. jam monuimus. Nemo etiam nostratium statuit, fidem ab homine determinandam & præstandam viribus licet prævenientis gratiæ adjuto. Non enim homo una cum Deo fidem in se efficit, sed solus Deus ho-



mini fidem donat: & quidem non tantummodo per gratiam prævenientem. Ipsa enim effectio fidei major est gradus gratiæ, quam is, qui præveniens salutatur. Quod autem non potuerimus propter Christum aliter quam intuitu fidei eligi, §. 38. evicimus. Et impossibile est, aliter quam per fidem meritum Christi apprehendi. Unde Apostolus notanter non inquit nos electos esse ad fidem, tamen si testetur, Deum nos elegisse, *ut simus sancti & inculpata coram ipso in charitate.* Eph. 1, 4.

§. 46. Ad Rom. 8, 29. reponit pag. 219. *Deum elegisse & absolute & conditionate, puta alios aliosque.* At vero Paulus de electis universaliter loquitur, nec hac in re inter illos discrimen constituit. conf. v. 33. 34. Quin & ad se ipsum applicat, v. 38. 39. quem tamen Strimesius absolute electum p. 202. statuebat. Porro excipit, Rom. 8, 29. *non dicit, quod Deus eos, quos præviderit præordinaverit ad vitam æternam, verum ad conformitatem cum Filio suo in hac vita tam passionum, quam actionum respectu,* p. 220. Omnino autem in hac conformitate involvitur etiam conformatio ad statum glorificationis Christi in vita æterna secundum v. 17. *Si quidem simul patimur, ut simul etiam glorificemur.* Conf. Phil. 3, 21. *Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, ut illud sit conforme corpori gloriæ ipsius.* Proinde designatur præordinatio sive prædestinatio ad vitam æternam.

§. 47. Contra I. Pet. 1, 2. obvertit, verba *κατὰ πρόγνωσιν* referenda esse ad dispersos advenas, p. 221. Atqui hi dispersi advenæ dicuntur electi, ergo hi dispersi advenæ electi sunt secundum præscientiam. Deinde



inde regerit, si ad electos referantur, per *Denominacionem electorum* hanc, qua κατὰ πρόγνωσιν Dei tales appellantur, non minus absolutam *Prædestinationem* vi *Præctica* πρόγνωσεως divinae, quam *conditionatam*, vi *præscientie* divinae *Theoretice* inferri. Falsissima autem est hypothesis, *Præcticam* præscientiam divinam absolutam electionem inferre. Sic Deus *præctica* præscientia Divina noverat, Davidem Keila abiturum, decernebat etiam benigne, se abitum hunc per prædictionem mali imminentis in eo effecturum. Quod si vero David prædictioni huic repugnasset ac Keilæ mansisset, conclusus esset in manus Saulis, 1. Sam. 23, 12, 13.

§. 48. Ad Joh. 3, 16. seqq. ubi nonnisi finaliter credentes salvatum iri docetur, Strimesius pag. 223. 224. excipit, *Deum in tempore nonnisi finaliter bonis operibus studentes salvare*, Rom. 2, 7. Hebr. 12, 14. Matth. 24, 13. nec tamen *Deum ex prævis bonis operibus nos elegisse*. At vero Rom. 2, 7. dictum est legale, a quo ad meritum Christi confugere debemus, prout ex v. 12. coll. c. 3, 19. 22. apparet. Hebr. 12, 14. argumentum Apostolicum sic se habet. Sine quo nemo videbit Deum, sive quod per visionem beatificam Dei in vita æterna universis electis nemine excepto conferetur, ei jam in hac vita, quantum fieri potest, studendum. Atqui sine sanctimonia, Ergo. Marth. 24, 13. perseverantia in fide designatur, conf. v. 5. cujus signum & indicium charitas est. Circa Joh. 3, 16. seqq. autem probe observandum, quo scopo Nicodemus ad Christum venerit, nempe ut viam addisceret, per quam ingrediendum esset in regnum Dei. Salvator igitur eum docet, non aliter vi-

tam



ram æternam nisi per fidem dari: *Qui credat in Filium Dei, non judicari, qui autem non credat, jam judicatum esse, quia non credidit in Nomen unigeniti Filii Dei.* Hinc igitur firmiter & immote constat, Deum nos intuitu fidei elegisse, reliquos autem intuitu incredulitatis reprobasse. Quando autem Apoc. 22, 12, legimus, *Christum daturum unicuique, sicut opus ejus erit,* tunc opus tanquam indicium sive fidei sive incredulitatis consideratur.

§. 49. Pagina 225. *Prædestinarianismum scortum* appellat, & pag. 227. fatetur, *horribilissimum, & si rem ipsam, seu Doctrinam artendas blasphemum esse decretum absolutum, de peccato a rationali creatura necessario committendo, quo manifestanda Justitia divina punitiva locus detur justaque causa.* Ita autem docere Supralapsarios constat, & præterea notum est, cum Infralapsarios tum Universalistas pro fratribus illos cognoscere. Qua ergo fronte postulare potuit Strimesius, ut in societatem Ecclesiasticam susciperemus amafios scorti, Supralapsarios & amafiorum illorum fratres spirituales, Infralapsarios & Universalistas? Casta virgo sibi a consortio cum scorto in fornicatione sua persistente, amafius ejus, & fratribus illorum eos excusantibus & communionem cum illis suadentibus, diligentissime cavebit. Absit ergo, absit in omnem modum, ut Ecclesia Evangelica in societatem Ecclesiasticam Calvinistas suscipiat: Sic enim desineret esse virgo & sponsa pura Christi, 2. Cor. XI, 2. Nec valet hac quidem in parte exceptio, distinguendam esse inter *doctrinam blasphemam, & animum eorum qui illam fovent.* Quod si enim quis cum scorto quotidie rem haberet, ac deinde cavilla-

retur,



retur, se scortum non pro meretrice sed pro virgine casta habere, num eo prætextu negare posset, se fornicari?

§. 50. Pagina 236. arbitratur, *baptizatos infantes ista fide non donari, qua ex auditu verbi est.* Eadem autem fides est, quam infantes in Baptismo & adulti per præconium verbi accipiunt. Nec Baptismus verbo destituitur, sed in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti peragitur. Et certissimum est, Spiritum S. per hoc verbum Baptismi efficacem esse in infantibus, & fidem omnibus essentialibus partibus, notitia, assensu, & fiducia constantem in illis efficere, quamvis hoc ratio nostra non assequatur. *Pax enim Dei exsuperat omnem intellectum* angelicum & humanum. Phil. 4, 7.

§. 51. Pagina 243. seqq. impotentissime debacchatur in eos, *qui ex absoluta Prædestinatione Libertinismum & Epicurismum derivent.* At vero ipsemet pag. 242. argumentum invictum & immotum præbuit, *distinctiones inter vocationem efficacem & inefficacem, quarum sola prior sit sufficiens, inter externam mere & internam simul, inter vocationem signi & beneplaciti, VERACITATE AC SINCERITATE DIVINA & CONTESTATIONIBUS DEI JURATIS PRORSUS INDIGNAS* esse, palam professus. Hinc colligo terminos. Quæcunque doctrina prorsus indigna est veracitate ac sinceritate divina, & contestationibus Dei juratis, illa est mater Libertinismi & Epicurismi. Atqui doctrina Particularistarum. Ergo. Minor est ipsius Strimesii. Major radiat sua luce. *Qui enim Dei veracitatem & sinceritatem ac juratas contestationes arietat, ille nec promissionibus*



bus nec comminationibus Divinis commovebitur, vitam æternam non credet, infernum habebit pro figmento ad terrendos homines excogitato, adeoque suam voluptatem, suam arrogantiam, sua commoda pro norma omnium suarum actionum habebit. Nec promissa præstare, nec juramenta servare studebit, ratus, si Deus ipse non stet contestationibus juratis, honorificum sibi fore, a suis promissis & juramentis resilire. Plane sicut apud Terentium Chærea ad libidinem perficiendam incitatum se commemorat pictura, *Jovem per alienas regulas venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri*, Eun. Act. 3. Sc. 5.

§. 52. Expertam id esse Angliam magno cum Reformationis impedimento testatur Gilbertus Burnettus, inquit: *Another sort of People was much complained of, who built so much on the received opinion of Predestination, that they thought they might live as they pleased; since nothing could resist an absolute Decree: nor did those who had advanced that Opinion, know well how to hinder People, from making such Inferences from it: all they did, was to warn them, not to pry too much into those secrets: but if the Opinion was true, there was no need of much prying to make such conclusions from it. This had a very ill effect on the Lives of many, who thought they were set loose from all obligations: and THAT WAS INDEED THE GREATEST SCANDAL OF THE REFORMATION. i. e. Multi questus audiebantur de alio hominum genere, tanto per innitentium recepta de Prædestinatione opinione, ut existimarent potestatem sibi esse vivendi prout liberet, siquidem nihil esset resistendo absoluto Decreto: nequi hi, qui hanc*



hanc opinionem in medium protulerant, noverant satis, quo pacto populus ab ejusmodi illationibus esset retinendus. Solummodo monebant auditores suos, ne hæc arcana nimis rimarentur. Quod si vero opinio illa veritati esset consentanea, non fuisset opus multa scrutatione ad ejusmodi conclusiones inde inferendas. Pessimus inde effectus prognascebatur circa vitam multorum, qui cogitabant se ab omni obligatione immunes esse: & **HOC REVERA ERAT MAXIMUM SCANDALUM REFORMATIONIS.** Videatur *Abridgement of the history of the Reformation*, Lib. 2. pag. 87.

§. 53. Frustra regeritur, quosdam Reformationum (quos Strimesius accuratiores & perspicaciores appellat, se ipsum & paucos alios secum facientes denotans) demum ex longiori bonorum operum tractu certitudinem salutis ac Electionis hauriendam statuere, pag. 258. 259. Qui enim absolutæ Electionis figmento se inescari passus est, & consequentias, de quibus Burnetum conquerentem audivimus, inde derivare cœpit, confestim respondebit, se, siquidem absolute electus sit, certissime aliquando inevitabiliter conversum iri: sin absolute reprobatus, nunquam se ad longiorem illum bonorum operum vere talium tractum pervenire posse. Itaque perinde esse, quomodo nunc se gerat, nec perjuriam suam, libidines, furta, homicidia electioni suæ impedimentum allatura, si absolute electus sit. Præterea hæc ipsa Strimesii hypothesis ex Arminianorum lacunis hausta offendiculum præbet illis, qui cum vitam impie transegerint, nihilofecius a Præconibus verbi morte appropinquante ad seriam & sinceram pœnitentiam exci-



excitantur. *Quid enim* (regerent illi secundum istam sententiam) *nobis nunc proderit pœnitentia? unde certi erimus nos salutis compotes fore, cum mors imminens spes vetet inchoare longas, nec longiorem bonorum operum tractum nobis permittat.* Procul igitur procul absit profana ista opinio, & morituris etiam inculcetur illud Pauli & Silæ: *Crede in Dominum Jesum Christum, ita salvaberis*, Act. 16, 31.

§. 54. *SECTIO QUARTA in Prædestinationis conditionate & absolute, & in his Protestantium, Conjunctione* sita est. Totam autem corruiere oportet, cum Prædestinationem absolutam merum figmentum esse ex superioribus jam constet. Præterea commentum de duplici Prædestinatione nec a Particularistis nec ab Universalistis Reformatis hucusque approbatum fuit, sed est privata & trimesis sententia ne ab ipso quidem Paulo Ernesto Jablonskiø Editore suscepta, sed aliorum iudicio submissa, prout ex Dedicatione apparet. Itaque non ad Unionem conciliandam, sed ad lites plures ferendas facit.

§. 55. Pagina 263. 264. var.issima sibi spe blanditur, *Disceptationem de reliquis articulis, etiam de ipsa S. Cœna exitum sortituram facilem, nisi per Disceptationem de Prædestinatione impediretur.* Etiam si enim Calvinistæ ab erroribus suis in Articulo de Prædestinatione desisterent, (quos tamen indices magis magisque pingere & disseminare allaborant) tamen nullus foret Confœciationi Ecclesiasticæ locus, nisi in Articulis de Cœna, Baptismo, & Persona Christi veritatem amplecterentur. *NIHIL enim possumus contra veritatem, sed pro veritate, 2. Cor. 13, 8.* Igitur nullum Christianæ religionis articulum in gratiam Unio-



Unionis imo totius orbis terrarum vel ex toto vel ex parte deserere ac proderere licet, nisi fidei & salutis aeternae iacturam facere velimus.

§. 56. Strimesius ipsemet, *aversari se & maximo-  
pere improbare, gloriatur, omnem Consociationem eo-  
rum Christiano-Ecclesiasticam, qui ponderosa alicujus  
divina seu revelata veritatis discrimine diffideant,  
tumque quam maxime, quando horum talium con-  
junctio parari instituat per sententiarum suarum U-  
nionem & Conjunctionem. Hoc enim pacto Conjunctio-  
nem quæri Templi Dei & templi Idolorum per Con-  
junctionem lucis & tenebrarum, quam confusam at-  
que inordinatam, seu inconditam commixtionem nil  
aliud consequi possit, quam vilipendium veritatis di-  
vina, diminutio zeli pro eadem, Indifferentismus sen-  
tentiarum Theologicarum Syncretisticus, quin, cujus  
fuga causa Consociationi opera navetur, Schismatis ge-  
neratio, tertia factionis productio, qua nova Dogmata,  
novaque principia comminiscatur ab utraque priori  
parte merito rejecta. ibid. & pag. 265. Fiat applica-  
tio. Strimesius doctrinam de universali gratia & sa-  
tisfactione Christi pro ponderosa veritate in sacris  
litteris revelata ipsemet agnovit, & Particularistarum  
distinctiones indignas veritate & sinceritate Divina  
prorsus esse pronuntiavit in ipso hoc libro. Nihilol-  
secius Unionem Particularistarum eam negantium  
cum affirmantibus Lutheranis sive Evangelicis quæ-  
rit per conjunctionem electionis absolutæ & condi-  
tionatæ. Quid igitur inde expectandum? Nihil ali-  
ud, quam *conjectio templi idolorum cum templo Dei,**

C

tene-



*tenebrarum cum luce, vilipendium Divinae veritatis, Indifferentissimus Syncretisticus, novum Schisma.*

§. 57. Pagina 269. nos omnem Pelagianismum ejurare, sincereque totalem hominis naturalis i. e. animalis sensu Apostolico, rationalem complectentis, qua omne etiam minimum bonum spirituale vereque salutare, impotentiam profiteri testatur. Falsum ergo testimonium dicunt Calvinista, quotiescunque Pelagianismi nos accusant. Quin & ipse Strimesius Semipelagianismi pag. 270. male nos postulavit. Quod si enim omnem Pelagianismum evitamus, nec Semipelagianismi rei sumus. Hunniana sententia autem eadem, quae reliquorum Lutheranorum est, nec ab Hunnio nos divelli patimur, primo quia verissime docuit, & deinde ne sub obtentu pacis novum Schisma sine ulla causa oriatur. Quod Calixtus sententiam Hunniam agere exponi scribit, quin Semipelagianismi speciem praebeat, in vanum a Strimesio p. 270. urgetur. Calixtus enim Syncretismi studio permulta prave dixit, scripsit, fecit. Uno verbo, non noster fuit, sed Syncretista. In Synodo Dordracena utramque Universalistarum & Particularistarum sententiam admissam, falsissimum est. Canones enim Dordraceni Particularismum solum approbant. Quod ad Sententiam Theologorum Magnae Britanniae attinet, in Actis Synodi Dordrechtanae P. 2. pag. 6. Edit. Caninianae de A. 1620. palam docent, in Praedestinatione media salutis non minus absolute decreta esse, quam salutem ipsam. Nam licet salus in executione pendeat ex conditionato usu mediocum, tamen Dei

ad



*ad salutem eligentis voluntatem non esse conditiona-  
ram.* Id quod directe repugnat Strimesianæ de ele-  
ctione duplici sententiæ. Tum vero magnum discrimen  
intercedit inter paucos illos Britannos ad Syno-  
dum Dordracenam missos & Ecclesiam Anglicanam,  
quatenus Catechismo suo & Liturgiæ conformiter  
docet. Itaque apud genuinam Ecclesiam Anglica-  
nam, paucorum illorum Britannorum cum Particula-  
ristis, si non ex toto, attamen magna ex parte conspi-  
ratio, exiguæ autoritatis est & esse debet.

§. 58. Lutherani non statuunt, Paulum determi-  
nanter & irresistibiliter conversum: prout Strimesius  
pag. 272. fingit. Nec singularis gratia, quæ huic vel  
alteri nationi, quod ad sedem constituendam Eccle-  
siæ attinet, conceditur, absolutam electionem infert.  
Etiam si enim hæc vel illa gens singulari gratia sedem  
Ecclesiæ constituat, tamen nullum individuum pro-  
pterea absolute electum, sed cujusvis individui ele-  
ctio intuitu fidei ab æterno facta est. Quisquis enim  
in Ecclesia fidei a Deo oblatam finaliter repudiat,  
damnatur, tametsi in media Ecclesia natus & educa-  
tus. Tum vero quælibet natio sedes Ecclesiæ fieri  
potuisset, nisi incredulitate sua obstitisset. Calvinia-  
norum autem thesis *de Ethnicorum moratiorum sa-  
lute non tamen sine fide in Christum saltem implicita,*  
Unioni quam maxime obstat. Etenim fides illa im-  
plicita, quam Calviniani Ethnicis moratioribus tri-  
buunt, cum fide carbonaria Romanæ Curie vehe-  
menter convenit, & re ipsa non est fides, sed mera  
incredulitas.



§. 59. Rom. 8, 28. & Rom. 9, 11. nec vocatio nec Electio absolute efficax docetur. *Vocatio secundum propositum* dicitur, quando homines propositum Dei de salvandis perseveranter fidelibus admittunt, & se verbo Divino & Sacramentis ad fidem adduci & in fide conservari patiuntur. Hinc etiam Deus ne quidem in mittendo Christo ex semine non Esavi, sed Jacobi ad opera respicere voluit, ut etiam sic propositum secundum electionem maneret: quamvis inde non sequatur, Esavum a salute reprobatum esse, quippe qui in circumcissione fide donatus, amissam postea recepit, & tandem aeternae salutis actu particeps factus est.

§. 60. Pagina 276. seqq. *dissensum in articulo Praedestinationis fundamentalem* haud esse disputat. Urget (1) *articulum de Praedestinatione esse unum omnium in Theologia Christiana difficillimum*. Resp. Articulus de SS. Trinitate non minus est difficilis. Sociniani tamen fundamentaliter errant. Petrus etiam monet, esse *quaedam intellectu difficilia, quae indocti & instabiles detorquent, quemadmodum & reliquas Scripturas ad proprium ipsorum interitum*. 2. Pet. 3, 16. Urget (2) Praedestinationem absolutam haud levi in Scriptura fundamento niti, p. 277. Resp. Contrarium supra vidimus. Urget. (3) *In prioribus Seculis plura pro Conditionata, in sequentibus omnibus, praecipue quod ad Ecclesiam Occidentalem multo plura pro absoluta colligere testimonia licere. Utramque inter Papicolas, Doctores Scholasticos, ante Reformationem, ipso Reformationis tempore inter Reformatore Doctores, magis tamen absolutam viguisse, certe*



eerte toleratam fuisse. ibid. & pag. 278. Resp. Inter orthodoxos antiquæ Ecclesiæ Doctores ne unus quidem absolutæ Prædestinationi astipulatus est. Inter Scholasticos sub Papatu multi graves & exitiales errores partim viguere, partim tolerati sunt. Lutherus, quem Bucerus ipse *primum purioris Evangelii ad nos Apostolum* nominat, Epistola ad Foxum Enarrationibus in quatuor Evangelia præmissa, cum omnibus, qui cum constanter secuti sunt, Prædestinationem intuitu fidei factam credidit. Ab eo deficiens Zvinglius Ecclesiam erroribus suis non reformavit, sed deformavit. Particularismus etiam ubicunque sedem invenit, *subdole* introductus est, quod de ipsa Helvetia nuperus quidam Scriptor ex historia ita demonstravit, ut nemo contra hircere vel mutire ausus sit. Urget (4) *absolutam Prædestinationem per Confessionem Reformatorum defæcatam & depurgatam esse.* pag. 279. Resp. Id falso affirmat Strimefius. Accedit, quod Calviniani Doctores ne quidem intra Confessionum suarum circulos maneant, sed in lectionibus & scriptis multo crassius errores suos enuntient, quam in Confessionibus eorum factum est, data opera sic compositis, ut blandiloquentia simplicioribus fucus fieret. Urget (5) *absolutam Prædestinationem eo solo animo a Reformatis urgeri, quo gratia divina Gloria tanto clarius elucescat.* Resp. Absoluta Prædestinatio gloriam universalis Redemptionis Christo eripit, eum ne Semi-Salvatorem quidem fingens. Moses Amyraldus Particularistas *suam, non vero Christi gloriam querere* testatur, *capitalesque & irreconciliabiles inimicos gratia Christi no-*

abil

C 3

minat:



minat: Precatione humili ad Christum Servatorem adversus Fridericum Spanhemium. Urget Strimesius (6) *Sententiam Reformatorum partim perverti, partim hujusmodi consequentias ex ea necti, qua vel nulla ratione eadem contineantur, vel saltem usque non contineri agnoscantur a Reformatis, ut rejiciantur etiam atque damnentur.* *ibid.* usque ad pag. 282. Resp. Particularistas negare universalem satisfactionem Christi, Strimesius in hoc ipso libro factus est, & propterea contra ipsos disputavit. Jam vero qui negat Redemptionem universalem, evertit fundamentum fidei & pietatis. *Apparuit enim gratia Dei salutaris OMNIBUS hominibus. Erudiens nos, et abnegemus impietatem & mundanas concupiscentias, ac sobrie, & juste, & pie vivamus in presenti seculo; Expectantes beatam spem, & apparitionem glorie magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi; Tit. 2, 11. 13.* Non igitur possumus cum vera fiducia apparitionem Christi expectare, nec abnegare impietatem, nisi hoc jacto fundamento, quod Divina gratia universis hominibus pateat. Quod ex consuetis absolutæ Prædestinationis Patronis distinctionibus Epicurismus & Libertinismus sequantur, ipso Strimesio præeunte §. 50. ostendimus. B. Rappoltum nihil affinxisse Calvinistis in propatulo est. Hottingerus palam negat, *Christum esse fundamentum electionis decernendæ*: Cursu Theologico pag. 183. Fidem veram ex Justificatione a Strimesio eliminari §. 21. 24. vidimus. Non enim per fidem, quam Paulus prædicat, sed per fidem operibus formatam justificari nos arbitratur. Hæc autem fides non est fides,



fides, sed commentum cerebri Strimesiani, cum Paulus fidem justificantem universis operibus opponat, & in articulo justificationis omnia opera pro ejectionis canonum proclamat, Phil. 3, 8. Verbum & Sacramenta operatione Spiritus S. mediata spoliantur per distinctiones inter vocationem internam & externam, ac voluntatem signi & beneplaciti. Vel enim gratiam conversionis irresistibilem esse venditant, quæ tamen est merum commentum, vel non habere in se efficaciam convertendi. Nec obstat, quod primum gradum prævenientis gratiæ irresistibilem esse fateamur. De ipsa enim conversione quæstio est, an hæc fiat irresistibiliter, & de fide salvifica, an ea inevitabiliter conferatur. Gratia divina inamissibilitatem Calviniani non de sola radicata fide cum Strimesio interpretantur: hæc enim est privata ejus sententia. Docent autem, nullum, qui semel fidem veram adeptus est, eam iterum amittere posse, sed inter gravissima peccata & scelera, ac proinde etiam, quando auditum verbi & usum Sacramentorum negligit, & contemnit, illam irresistibiliter conservari. *Etsi* (inquit Joh. Henr. Hottinger) *concedamus, peccatis, præsertim gravioribus & que CONTRA CONSCIENTIAM sunt, amitti sensum gratiæ & fidei, ipsum tamen semen fidei excuti, ac vere fideles statu gratiæ ac adoptionis excidere negamus*: Cursu Theologico pag. 838. Quod etiam fides radicata, sigillatim sensu Strimesiano talis, amitti queat, patet exemplo Davidis, qui cum per multos annos vere fuisset pius, fidem que suam longo bonorum operum tractu demonstrasset,



strasset, eâ per adulterium & homicidium excidit, nonnisi post novem mensium intervallum iterum conversus. Nec ignotum est proverbium crebra experientia firmatum: *Angelicus juvenis seris Satane scit in annis.* Urget (7) *Prædestinationem conditionatam etsi non in Theoria sua & conceptis verbis, tamen in Theoria praxi & implicite fovere Reformatos, præsertim quando ad Admonitiones & Consolationes, ex Doctrina deventum est.* Resp. Quid de illa praxi censendum, quæ cum doctrina non consentit? Annon apparet eam esse hypocriticam? Et cum in praxi a doctrina sibi discedendum Calviniani animadvertant, nonne contra conscientiam peccant, hypotheses suas retinendo, & pro iis propugnando? Urget (8) *Reformatos aculeatis scommatibus dieterisæque probrosis sine fine ac termino a Lutheranorum plerisque profecissos,* pag. 283. Resp. Id affirmat quidem Strimesius, sed non probat. Quod si protulisset exempla, facile ostendi posset, zelum nostratum conformem esse stilo Sacrarum literarum, Matth. 7, 15. c. 23, 16. 17. 2. Cor. XI, 13. 14. Phil. 3, 2. 18. 19. Quam impotenter autem Strimesius in hoc ipso libro debacchatus passim sit in nostrates, palam est. Quin & ea ipsa plagula, in qua expendenda nunc versamur, *importunitatem & Schismatica ingenia* tribuit iis, qui henoticis consiliis misceri nolunt, pag. 275. Urget (9) *Inter Lutheranos non minus quam inter Reformatos & olim extitisse & nunc dari disceptationes,* pag. 284. Resp. Olim agitatae secundum normam Divinarum literarum compositæ sunt in Formula Christianæ Concordiæ, cui Calvini  
niani



niani tam infensos se præbent. Hodiernas excitantur falsi fratres Syncretistæ, & Fanatici, veram doctrinam & pietatem fictitia sanctitatis specie oppugnantes. Qui autem B. Lutheri ex Verbo Dei depromptæ doctrinæ vere & sincere astipulantur, *idem sentiunt invicem juxta Christum Jesum, ut unanimiter uno ore glorificent Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, secundum admonitionem Paulinam, Rom. 15, 5.6. Urget (10) in Confessionibus Reformatorum & inter eas in Synodo Dordracena non fuisse rejectam gratiam Universalem Lutheranorum, sed Arminianorum Sociniantium, pag. 285. 286. Resp. Non tantummodo propriæ Arminianis hypothèses, sed & ipsa universalis gratia in se spectata rejecta est in Synodo Dordracena. Palatini in ea Lutheranos nominarunt adversarios manifestos, P. 1. pag. 109. & Synodos nostratium Conciliabula, ibid, & Illustrium ac Præpotentium D. D. Ordinum delegati Dogmatistarum instinctu professi sunt, se extra Reformatam Ecclesiam nullam inter illos, NULLUM ALIBI CORPUS ECCLESIAE agnoscere pag. 148. Strimesius ipse pag. 287. 288. affert Decreta Dordracenæ Synodi insequentia. (1) Octavam primi Articuli: *Rejicimus errorem eorum, qui docent, Deum neminem ex MERA justa sua voluntate decrevisse in lapsu Adæ & communi peccati & STATU DAMNATIONIS RELINQUERE.* (2) Sextam secundi Artic. *Rejicit Synodus errorem eorum, qui impetrationis & applicationis distinctionem usurpant, ut incautis & improbis hanc opinionem instillent, DEUM, quantum ad se attinet, OMNIBUS**



hominibus ex æquo beneficia voluisse conferre. (3) Octavam Articuli 3<sup>ti</sup> & 4<sup>ti</sup>. Synodus rejicit errorem eorum, qui docent, Deum in hominis regeneratione eas sua omnipotentia vires non adhibere, quibus voluntatem ejus ad fidem & conversionem potenter & infallibiliter flectat, sed positis omnibus gratie operationibus, quibus Deus ad hominem convertendum utitur, hominem tamen DEO & Spiritui Regenerationem intendenti ita posse RESISTERE, ut sui regenerationem prorsus impediatur. (4) Tertiam Articuli quinti Synodus rejicit eorum errorem, qui docent, vere credentes & regeneratos non tantum posse a fide justificante, gratia & salute TOTALITER ET FINALITER EXCIDERE, sed etiam re ipsa non raro ex iis excidere atque in aeternum perire. (5) Quartam Articuli ejusdem: Vere fideles & regeneratos posse peccare ad mortem, vel in Spiritum S. (6) Septimam Articuli adhuc quinti: Qui docent fidem temporariorum a justificante & salvifica fide non differre, nisi sola duratione. Denique (7) Octavam etiam quinti Articuli: qui docent non esse absurdum, hominem priori regeneratione extincta iterato, imo, sapius renasci. De hisce rectissime omnino Venerandus Mörlus pronuntiavit: Quid est Lutheranorum sententiam improbare, si hoc non est?

§. 61. Frustra regerit Strimesius, in prima rejectione Dordracenos Originalis peccati gravitatem ab Arminianis mirum quam extenuatam, ita redutam cupere, ut innuant per peccatum Originale etiam mera Dei voluntate justa in statum aeterna damnationis detrusum censendum esse hominem, non simpliciter alio-



alioquin asserturos, ob solum peccatum Originale quemquam, post Gratia fœdus cum genere humano a DEO initium, æternum actu damnari, pag. 2§9. Sic enim ipsemet fatetur, simpliciter Dordracenos asseruisse, ob solum peccatum Originale damnari actu plerosque homines. Obtentus, Arminianos originalis peccati gravitatem extenuare, ad rem non facit. Potuissent enim gravitatem Originalis peccati exponere, etiamsi non rejicerent verissimam illam sententiam, Deum neminem ex mera justa sua voluntate decrevisse in lapsu Ada & communi peccati & damnationis statu relinquere.

§. 62. Frustra regerit, Dordracenos in secunda rejectione redarguere & debellare intelligi Naturale hominis arbitrium Liberum, quo sibi meritum Christi indifferenter & ex æquo omnibus oblatum, applicari posse ab Arminianis perhibeatur. Et enim non modo liberum arbitrium, sed etiam hanc Scripturis profus convenientem thesin rejiciunt, quod Deus quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex æquo beneficia conferre voluerit.

§. 63 Frustra regerit, Lutheranos fateri, Hominem in Conversione mere passive se habere, pag. 290. Etenim mere passive homo in conversione se habet, ut nihil ad sui conversionem conferre queat. Alia autem quæstio est, annon homo conversionem tuam impedire valeat? quod nos affirmamus, sed Dordraceni negant. Quid (inquit Deus) faciendum amplius vineæ meæ, quod non fecerim in illa? Jes. 5, 4. Proinde Judæi omnibus gratiæ operationibus restiterunt.

§. 64.



§. 64. Frustra regerit, circa amissionem gratiæ & fidei omnem propemodum dissensionem tolli *Distinctio- nibus inter duplices vere credentes vel fidei radicata, vel minus radicata, non sola duratione, sed radice quoque vel presente, vel absente, eoque specificè se in- ter differentibus; inter peccatum mortale & peccatum ad mortem, seu in Spiritum S. inter radicata fide præ- datorum amissionem gratiæ DEI totalem & partialem; denique, inter Regenerationem primam & Regeneratio- nis quotidianam renovationem. Etenim Luc. 8, 13. fi- des non dicitur radicata, sed de iis qui credunt ad tem- pus enuntiatur, quod radicem non habeant. Itaque hypothesis Strimesiana falsa interpretatione nititur. Deinde fides radicata & fides temporariorum non dif- ferunt specificè, sed duratione sola. Quod fideles in- cidere possint in peccatum mortale, apparet exemplo Petri Christum cum juramentis & execrationibus sui ipsius abnegantis: Matth. 26, 74. coll. c. 10, 33. Et quod possint committere peccatum in Spiritum San- ctum, testatur Paulus, Hebr. 6, 4. 6. c. 10, 26. 29. Itaque possunt etiam amittere gratiam Dei totaliter & finaliter, cum peccatores in Spiritum S. impossibile sit iterum renovari ad pœnitentiam.*

§. 65. Nisi igitur *sectaria sua Theologia prorsus fasciatus ac dementatus* fuisset Strimesius (phrasi Strimesiana ex p. 291. utor, ne quis me durius locu- tum, quam par est, arbitretur) animadvertisset, tan- ti ponderis esse has controversias, ut conciliari in æ- ternum non possint.

§. 66. Pag. 292. 293. inter Ægidium Hunnium & Hulfemannum contradictionem sine causa fingit.

Hic



Hic enim non minus illo docet, *hominem passive admittere posse gratiam primam, & eam remotam potentiam connasci hominis intellectui ac voluntati, quia alias fieret progressus in infinitum, cum hac ratione omnis gratia prima requireret aliam priorem, qua introduceret receptivitatem gratie primae in subjectum convertendum. Quod in se absurdum esset, & omnem possibilitatem conversionis actualis negaret. Nullam enim actionem in infinitum exporrectam terminum suum assequi, vid. Breviarium Hulfemannianum enucleatum Scherzeri p. 339. 340. Cum igitur Strimesius fateatur, Hulfemanni sententiam non Pelagianismum solummodo, sed & Semipelagianismum tuto satis effugere, Hunnianam Semipelagianismi falso postulat. Quod ad Synergismum attinet, male utriusque objicitur, cum neuter doceat hominem in conversione concurrere, vel etiam ad fidem efficiendam quicquam conferre, sed uterque consentiat, hominem admittere tantum conversionem & effectum fidei, adeoque mere passive se habere. Victorinus Strigelius Calvinista fuit, ac proinde non Lutherani, sed Calviniani rei sunt Synergismi.*

§. 67. Pag. 298. fatetur, *Lutheranis singulari magnoque vitio verti non posse, quod advigilent, & mala (ex absoluta Praedestinatione redundantia) e longinquo conspecta, a se arcenda omni studio, ducant. Imo vero hoc laudi illis ducendum est. Quod enim Christus Apostolis dixit, omnibus dixit, vigilate. Marc. 13, 37. Sic vero etiam contra Unionem advigilandum est, & mala ex Henoticis Strimesii aliorumque Calvinistarum moliminibus promanantia, e longin-*  
quo



quo conspecta, omni studio arcenda DEO propitio sunt. Neque enim Calvinistæ Unione aliud quærunt, quam omnimodam Lutheranorum sive Evangelicorum extirpationem.

§. 68. Eadem pagina objicit, *si dixeris, Paulum resistibiliter conversum esse, eadem ratione dicendum, Saulum resistibiliter lumine cœlesti tactum, resistibiliter vocem cœlestem audivisse, resistibiliter in terram prolapsum.* Respond. negando consequentiam. Omnia enim hæc, tangi cœlesti lumine, vocem cœlestem audire, in terram prolabi, fieri poterant, etiam si Paulus non converteretur, sed gratiam conversionis rejiceret. *Cohors & Chiliarchus & ministri Judæorum irresistibiliter cadebant humi*, attamen a malitia sua non discedebant, sed *comprehendebant Jesum & ligabant*, Joh. 18, 6. 12. Id quidem facere non poterat Saulus Christo exaltato, potuisset tamen in odio ipsius perseverare.

§. 69. Pag. 299. ad B. Hannekenium frustra provocat. Dari enim quædam decreta absoluta non negamus. Sed quod Deus absoluto decreto constituerit, hisce fidem donare, aliis autem non largiri, hoc est, quod in sacris literis nullibi legitur, sed fundamento fidei prorsus adversatur.

§. 70. In Avenarii precatione procul dubio per typographi incuriam omissa sunt verba, *de Christo.* Non enim in Evangelio omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi sunt; & Strimesius ipsemet agnoscit, dictum hoc Apostolicum *de unigenito Dei Filio, Domino nostro Jesu Christo* loqui, pag. 300. Omnino autem gratiæ agendæ sunt Patri, quod *Ev-*

*ange-*



angelium de Christo nobis infantibus & pupillis revelaverit, sapientibus & intelligentibus hujus seculi absconditum, Matth. XI. 25. Designantur autem per istos sapientes & intelligentes illi, qui sapientia sua turgidi mysterium hoc contemnunt & odio habent, infra dignitatem suam existimantes, per Christum salvari. His igitur quatenus talibus absconditum est. Vult tamen etiam Deus, ut abiecta ista horribili superbia Christum agnoscant. *Venite*, inquit Redemptor ipse, *ad me Omnes, qui laboratis atque onerati estis*, adeoque etiam vos, qui laboratis propria sapientia & intelligentia imaginatione, & ego faciam, ut *requiescatis* in me & in meo merito, unica ad gratiam Patris mei impetrandam aeternamque salutem via. Peculiare etiam beneficium est, quod Deus nos a parentibus vere Christianis nasci voluit. Inde autem non sequitur absoluta electio, cum multi ex parentibus vere Christianis nati & in vera fide educati desciscant, & in exitium propria culpa precipites ruant. Quemadmodum pii Jothami filius Achasus non in parentis sed *Regum Israelis viis ambulavit, quin etiam fustilia fecit Baalibus*, 2. Chron. 28, 2.

§. 71. In *CONCIONE SECULARI* adjuncta statim ab initio pag. 2. gloria Christi graviter a Strimesio luditur, *Verbum, quod in plenitudine temporis caro factum est, omnis nostra vera summaque letitiae, qua executionem, causam existere* scribente. Quorsum enim ista restrictio: *qua executionem?* Nimirum eo tendit illa, ut Christus ex decreto electionis ejiciatur, & nos ipsius & meriti ejus intuitu electos negetur,

§. 72.



§. 72. Pag. 14. depravantur I. Tim. 3<sup>i</sup>, 16. Joh. 17, 21. Paulus enim non ait, *Christum esse creditum a mundo*, sed *in mundo*, ἐν κόσμῳ. Redemptor etiam noster non petit, ut *peruersus mundus ex parte credat*, quod Pater ipsum miserit, sed ut ex toto & salutariter in eum credat, sicut Apostoli credebant. Hæc est benignissima ejus intentio: cui vero pro dolor mundi maxima pars pertinaciter resistit, atque sic damnationem sibi accersit.

§. 73. Pag. 16. *Solam Humanam Christi naturam sanguinem profudisse* cum Nestorianis statuit. Non autem sola Humana ejus natura sanguinem pro nobis profudit, sed & Persona secunda Trinitatis. Falsum vicissim est, *solam personam Divinam ad purgationem a peccatis pondus sufficiens debitamque vim attulisse*. Nam hoc pondus contulit etiam Divina Natura, imo & per ac propter Unionem Humana, Divinis & infinitis idiomatibus per arctissimam communicationem instructa.

§. 74. Pag. 24. 25. Catechismum Palatinum commendat. Et si vero Calviniani Particularismum suum in eo palam & aperte proponere ausi non sunt, tamen passim illum aliquanto occultius immiscuerunt. Quapropter mera est hypocrisis, quando ab hac quaestione initium fit: *Quodnam est unicum tuum solatium in vita & in morte?* addita responsione: *Hoc est unicum meum solatium, quod non mei sed Domini nostri Jesu Christi proprius sum, qui pretioso sanguine suo pro peccatis meis omnibus abunde satisfacit. Quapropter me etiam de vita aeterna certum reddit per Spiritum suum, & ut in posterum sibi vivam, prom-*



*rum paratumque facit.* Si enim Christus non pro omnibus satisfecit, nemo certus esse potest, se esse Christi proprium, & pro suis peccatis omnibus abunde esse satisfactum. Cum vero Strimesius Palatinam hanc Catechesin *in re ipsa cum verbo Dei immediate revelato probe satis conspirare* gloriatur, haud difficulter inde intelligi potest, quem scopum Henoticis suis laboribus præstitutum habuerit. Nempe ut sub prætextu Unionis totam Calvinianorum errorum cattervam in Ecclesiam Lutheranam introduceret. Vah consilium callidum!

§. 75. Pag. 33. falso narrat, lucem Evangelii *uno eodemque tempore* in Saxonia per Lutherum, & in Helvetia per Zvinglium effulsisse. Lutherum enim diu ante Zvinglium Reformationem instituisse, constat. Quamvis etiam tamdiu recte reformationem Zvinglius urserit, quamdiu veritati a Lutero demonstrata institit, postea tamen superbia tumens lucem Evangelii in Helvetia tenebricosis hypothefibus suis turpiter obfusavit.

§. 76. Eadem Pag. 33. & 34. a Spiritu S. esse, quod, cum adhuc anno trigesimo octavo ejusdem Seculi tenebra Pontificia Marchiam tegerent, gloria Domini, gloriosissima memoria Electorem Brandenburgicum JOACHIMUM II. (cui inclyta Academia Francofurtana, post Deum, omnem suam felicitatem debeat) tantopere illustraret, ut veritati Evangelica, qualis per Lutherum in Saxonia resuscitata erat, PLENISSIME assentiretur, agnoscit. Quapropter nequaquam a Spiritu S. esse potest, quod Calvinus & assecla ejus Evangelicæ Lutheri doctrinæ non assentiun-



triuntur. Nec Spiritui S. tribuendum, quod Strime-  
 sius in Unione inter Evangelicos & sic dictos Refor-  
 matos, sive Calvinistas operam posuerit, cum B. Lu-  
 therus conciliationibus istiusmodi tam mascule & tan-  
 to cum zelo constantiaque repugnaverit, pie monens  
 Ecclesiam, *Hereticos & alienos ab Ecclesia Dei esse*  
*Cingianos & omnes Sacramentarios, qui negant, Cor-*  
*pus & Sangvinem Christi ore carnali sumi in venera-*  
*bili Eucharistia*, Tomo I. Lat. Ien. fol. 538. b. med.  
 Item. Es sey ihm erschrecklich zu hören, daß in einer-  
 ley Kirchen, oder bey einerley Altar, solten beyder  
 Theil ein Sacrament holen und empfaben. Und ein  
 Theil solte gläuben, es empfab eitel Brodt und  
 Wein, das ander Theil aber gläuben, es empfab  
 den wahren Leib und Blut Christi. Und offtzweif-  
 felse er, obs zu gläuben sey, daß ein Prediger oder  
 Seelsorger so verstockt und boshafftig seyn könte, und  
 hiezu stillschweigen, und beyde Theil also lassen ge-  
 hen, ein jegliches in seinem Bahn, daß sie einerley  
 Sacrament empfangen, ein jegliches nach seinem  
 Gläuben zc. Sey aber etwa einer, der müste ein  
 Herz haben, das da härter ist, denn kein Stein,  
 Stahl noch Demant, der müste freylich ein Apostel  
 des Zorns seyn. Denn Türcken und Juden wären  
 viel besser, die unser Sacrament leugneten, und  
 frey bekenneten, denn damit blieben wir unbetro-  
 gen von ihnen, und fielen in keine Abgötterey. A-  
 ber diese Gefellen müsten die rechte hohe Erzte-  
 reuffel seyn, die mir eitel Brodt und Wein gäben,  
 und lieffen michs halten für den Leib und Blut Chri-  
 sti, und so jämmerlich betrogen, das wäre zu heiff  
 und



und zu hart, da werde Gott zuschmeissen in Fur-  
ken. Darumb wer solche Prediger habe, oder  
sich des zu ihnen versehe, der sey gewarnet für ihnen,  
als für dem leibhaftigen Teufel selbst. Tomo 6. Ien.  
fol. 108. Et cum inclyta Academia Francofurtana  
post DEUM gloriosissimæ memoriæ Electori JOA-  
CHIMO II, Lutheri doctrinæ plenissime assentienti  
omnem suam felicitatem debeat, qua conscientia  
Strimesius accipere potuit salarium Lutheranis Theo-  
logis constitutum debitumque?

§. 77. Pag. 35. in panem nostrum Eucharisti-  
cum ex obliquo invehitur, ac si non esset verus pa-  
nis, & in administrationem S. Cœnæ nobis sine fra-  
ctione usitatum. Sunt autem Oblatæ, uti appel-  
lantur, præstantissimum & convenientissimum ge-  
nus panis, ac repræsentativa Calvinianorum fracti-  
onis literis adversatur. vid. Joh. XIX. 36,

§. 78. Gloriosissimum Electorem JOHAN-  
NEM SIGISMUNDUM paulo ante obitum pœ-  
nitentia sui ad Reformatos accessus ductum esse, con-  
stat. Interrogatus enim, qua in religione ex hac  
vita discedere veller? respondit; *Morior in Patris  
mei fide: Ich sterbe in meines Vaters Glauben.*  
Patrem autem habuit Electorem gloriosissimæ bea-  
tissimæque memoriæ JOACHIMUM FRIDERI-  
CUM, Evangelico-Lutheranæ Religioni toto ani-  
mo addictum, cui Johannes Sigismundus datis li-  
teris reversalibus & re optime deliberata sancte pro-  
miserat, se in religione nostra Formula Concordiæ  
& Scripturis Veteris & Novi Testamenti compre-  
hensa constanter perseveraturum esse. In hac igitur



Lutherana religione diem obiit, non in ea, quæ Reformata dici confuevit.

§. 79. Pagina 37. commemorat, *Reformatâ Ecclesia in Marchiam recepta, cœtui Francofurti Reformato hanc sacram Ædem, in qua verba faceret, ad publicum cultum exercendum traditam esse.* Igitur antea Lutheranorum fuerat. Non autem potest esse a Spiritu Sancto, quod Ædes sacra nobis erepta est. Spiritus Sanctus enim in præcepto decimo vetuit concupiscere quicquid est proximi. Proinde ne concupiscere quidem debuissent nostrum templum Calvinistæ, cum doctrinam nostram fundamentum fidei integrum seruare ipsi fateantur. Quæ conscientia igitur Strimesius ex hoc suggestu concionem habere ausus est? Nonne *lapis e pariete contra ipsum* aliosque Calvinianos Præcones *clamabit, & trabs e ligno respondebit contra eos?* Chabak. 2, 11. quod tantam iniquitatem contra nostrates, quos fratres suos esse, (tamen falso) gloriantur, commiserint & adhuc committant, in possessione iniustissima perseverantes. Hæcine est fides charitate formata, Viri Calviniani, quam Strimesius vester jactat? Hæcine est longior ille bonorum operum tractus, ex quo solo certitudinem salutis & Electionis spondet? Imo vero est longum & prolixum firma iniustissimæ retentionis Ædis nostræ, bonorumque Ecclesiasticorum ad nos pertinentium. Aperite oculos, Religioni Evangelicæ sive Lutheranæ sincere addicti, cernite, quorsum Strimesianæ ad fraternitatem invitationes & uniuersæ machina-

tio-




riones Henoticae spectent. Aedes sacras vobis eri-  
 pere, bona vestra Ecclesiastica ad se trahere Calvi-  
 nista moliuntur. Prae affluentia sui in vos amoris,  
 cupiunt vos & vestra habere in visceribus suis, ut  
 lupi oves. Conscientiis praeterea vestris dominari  
 cupiunt: id quod STEPHANUS Polonorum Rex  
 gloriosissimae memoriae inter reservata divina sapi-  
 enter referebat. Sic enim ante paucissimos annos  
 Calviniani Dogmatistae sub & obreptitiae impetra-  
 runt, ut Lutheranis in Principatu quodam interdi-  
 ceretur, ne in suorum funeribus crucis signum praer-  
 ferri curarent, vid. *Collectio Continuata rerum Theo-  
 logicarum veterum & novarum* de Anno 1730. pag.  
 621. Quo ipso haud obscure Calviniani Theolo-  
 gi ostendunt, se *ita ambulare*, quemadmodum *mul-  
 ti ambulant*, de quibus Paulus Philippensibus in E-  
 pistola sua *flens dixit*, eos esse **INIMICOS CRU-  
 CIS CHRISTI**. Cap. 3, 18. Nolite fictitia co-  
 rum moderatione decipi: qualis enim ea sit, ex  
 Strimesiana concione pag. 41. 42. perspicuum est,  
 ubi Evangelicos subdolan pacem, quae nequaquam  
 Christi esse potest, fideliter dissydentes *diabolicae sa-  
 pientiae*, turpissime dicto Apostolico Jac. 3, 15. 18.  
 abusus, reos peregit. *Confortamini autem in Do-  
 mino, & in robore potentiae illius, super omnia appre-  
 hendentes scutum fidei, per quod poteritis omnia ma-  
 litiosi per Calviniana & Syncretistica organa in vos  
 vibrata tela extingvere. Et galeam salutis sumite,  
 gladiumque Spiritus, id est, verbum Dei. Omni-  
 bus precibus & petitione precantes in omni tempore*  
in



*in Spiritu*, ut DEUS Ecclesiam Lutheranam, vere Evangelicam, adversus portas inferorum, adeoque etiam contra Calvinismum conservet, ac testibus veritatis *det sermonem ad apertionem oris sui cum libertate, ad notum faciendum mysterium Evangelii de redemptione omnium hominum, propter Filium suum unigenitum JESUM CHRISTUM!*













90910

ULB Halle

3


005 418 879











MELETEMA  
DE  
PRÆDESTINATIONE ET  
ÆTERNA PROVIDENTIA  
DEI,  
OPPOSITUM  
STRIMESIANIS VISI-  
TATIONIBUS  
Articulorum Visitatoriorum  
P. E. JABLONSKIO  
editis.

A. C. M DCC XXXI.